

*Notes*  
*Vol. 1*

**Q. B. V. D.**

**DISSERTATIO**

**EXEGETICO-THEOLOGICA**

**De**

# **CONSILIO DIVINO,**

**Ex Psalmo LXXIII: 24.**

**Quam**

*Consensu Ven. Facult. Theol.*

**SUB PRÆSIDIO**

**ISAACI Björklund,**

**S.S. Theol. Prof. Publ. & Ord.**

*Publicæ placidæque eruditorum disquisitioni subjicit*

**AUCTOR**

**ISAACUS ROSS**

*Rect. Sch. Triv. Helsingf.*

**Ad diem 14. Decembris A. 1737. h. l. q. s.**

---

**ABOAE, Exc. Joh. Kämpf, Reg. Acad. Typogr.**

Q. B. N. D.  
DISSERTATIO  
EXEGETICO-THEOLOGICA

De  
CONSILIO  
DIVINO.

Quam  
Composuit P. R. S. S. I. O.  
SUB PRÆSIDIO

ISAACI BIRTLING

22. Theol. Prof. Publ. & Ord.  
AUCTOR

ISAACUS ROSS

1777  
1778  
1779  
1780  
1781  
1782  
1783  
1784  
1785  
1786  
1787  
1788  
1789  
1790  
1791  
1792  
1793  
1794  
1795  
1796  
1797  
1798  
1799  
1800

S:æ R:æ M:tis

Magnæ Fidei VIRO,

Perillustri & Generosissimo

BARONI ac DOMINO,

**D<sub>N</sub>. AXELIO ERICO  
GYLLENSTIERNA**

Nylandiæ Tavastiæque Provinciarum PRÆSIDI  
& GUBERNATORI Eminentissimo

MÆCENATI MAXIMO

*A*ncipiti cogitationum cura distrabebatur animus dub usq. h.e.  
rebat, num commentatiunculã hauc splendissimo TUO, Per-  
illustri ac Generosissime DOMINE BARO, Nomini auderem  
inscribere. Dissuadebat exilitas ingenii, a quo nihil posse  
TUO



TUO fastigio dignum proficisci sciebam. Suadebant TUA er-  
ga me meoque sine exemplo humanitas & summi indicia fa-  
voris, quo me non tam complecti, quam cumulare, imo obru-  
ere dignatus es. Horum etenim gratissima simulque ve-  
nerabunda memoria se continere amplius nequit, quin, cum  
paria reponere virium mearum facultatem excedat longissime,  
hac saltem ratione publice testetur, quam TIBI sum mancipii  
prope nexu obstrictus, quamque magnificea TANTO MÆCE-  
NATI in pii pectoris mei fundo venerationis monumenta e-  
rigantur, consecrentur. Vota denique fundo calidissima; Vi-  
vas, COILI AMICE, Nylandia nostre DELICILM & DE-  
C'IS, vigeas TIBI & nobis, floreas, ut gloria tantis, quibus  
inter TUÆ sortis Heroas emines, virtutibus parca quam diu-  
tissime frui possis !

sic optat

PERILLUSTRIS ac GENEROSISSIMI  
NOMINIS TUI

Cultor humilissimus  
ISAACUS ROSS.



I. N. J.

§. I.

**Q**uanto inter eos, qui Christo nomen dederunt, in confesso magis est, vitae, qua ad vitam vere beatam tuto & cura erroris periculum itur, notitiam plenam & sufficientem ex limpidiſſimis Israelis fontibus, in ſacrorum bibliorum volumine contentis, hauriri unice ac parari: tanto id certius debet eſſe, in nulla re alia praeclaram magis operam collocari, quam in rimandis iisdem ſcripturis; imo enucleandis & illuſtrandis vocibus ſingulis ac phraſibus, quibus immediate ſanctiori ſpiritu ſanctiſſima religionis myſteria viſum eſt involvere. Sunt certe rationes grauiſſimae, quae cuiſlibet, ſi occaſio modo, ingenium, vires & ſubſidia non deſint, inprimis vero iis, quos Deus

A

excu-



excubitores gregis, pretiosissimo Christi sanguine redempti, iussit esse, non tam suadeant, quam injungant, ut in hoc stadio gnauiter, & pro virili decurrant. Otium quidem mihi, ne multus heic cogar esse, peperere immortales virorum doctissimorum labores, qui præclari conaminis *necessitatem* solidissimis euietam dedere argumentis. Ne tamen nihil omnino dixisse videar, hanc in rem unum tantum atque alterum in medium placet afferre. Primum id certum est ac immotum, in tractatione rerum theologiarum acroamatica ad biblicam apodixin cuncta redire debere, h. e. theses solidis iisque e scriptura petitis argumentis muniendas esse: id vero, nisi eruto sollicite atque plene deducto cum singularum vocum, tum, quae ex vocibus apte inter se connexis exsurgunt, phrasium biblicarum sensu, non video quo demum alio modo obtineri queat aut debeat. Deinde in habendis ad gregem Christi concionibus utilissimum, immo maxime necessarium fuerit, mentem dictorum efficacissimorum & *εὐπακουσίτων* animis auditorum imprimere probe & inculcare, ut ex locis sacrae paginae, quae jam inde a teneris iungui-

culis

culis multi memoria tenent percepta, fidei articulos profundius intelligant, intellectos fideliter afferent, & cum usus in praxeos Christianae curriculo postulat, feliciter ac pie in mentem reuocent. Enimvero sine singulari ista, quam commendamus, circa dictiones & loquendi modos originalium textuum cura, praestari talia haud posse, vel me non monente, per se ipse quiuis intelligit. Porro cum Theologi sit, sacrarum litterarum dignitatem contra eorum furores, qui, ne eas cogantur pro principio satis exquisito agnoscere, innumera in earum contemptum comminiscuntur, & inter alia stilum biblicum plurimis scatere tautologiis, nobis obijciunt, in tuto collocare: nulla sane ratione felicius haec audacia retunditur, quam si monstretur, multis in locis, omnem tautologiae suspicionem euanescere, ubi, qua decet, industria & animi deuotione ad uocum sacrarum notiones formales atque emphases, quibus, quæ vulgo pro synonymis habentur, haud parum inter se differunt, attendatur. Placet in rei maiorem illustrationem in compendio afferre, quæ hac de re fusi-  
us monent auctores Nou-Antiquorum A: o 1702



in consilio suo de phrateologia biblica, quod p. m: 322 continetur. Primum observant, tautologias indignas spiritu sancto esse, cuius singula verba divinae sapientiae plenissima sint. Deinde vero exempli loco ex Psal. 119. voces תורה *lex* ערות *testimonia* חק *statutum* מצוה *praeceptum*, פקודים *mandata*, משפט *judicium*, adducunt, quae si peculiari emphasi non differre credantur, multiplices tautologias pariant. Putant itaque integrum Dei verbum תורה aut ספר תורה Neh. 8:8. dici. Cumque illud dispescatur in *credenda & agenda*; illa vero, puta credenda, sint partim *praeterita*, h. e. miracula & beneficia quibus tamquam signis Deus, quae credi voluit, confirmavit; partim *futura*, i. e. Evangelii promissiones: hinc existimant per ערות *illa*, haec per חק intelligi. חק enim significare quoddam, quod firmum, inexstinguibile & velut lapidibus sit insculptum, & proinde immutabilibus gratiae promissionibus apprimè conuenire, hincque ei voci praecepta saepissime in scripturis jungi, adeoque legem & evangelium simul denotari. *Agenda* distinguunt in *moralia*, quae per מצוה &



& פקודים (quorum *illud* mandatum regium & majestaticum, *hoc* mandatum per ministros Dei tamquam inspectores & visitatores ab ipso datum importet) innui putat; & *cerimonialia ac forensia*, quo ממש referunt. Utrum hisce praecise limitibus adductorum vocabulorum significatio includi omnino debeat, inque allatis ex mente auctorum, quos memoravi, nihil habituri sint ceteri interpretes, quod jure desiderent, nunc non disquiram; sufficit paullo ante a nobis dicta per haec mirifice illustrari, &, si vel maxime optimo conatui in singulis felix successus haud respondit, praeclarum, quod in conatu accurate determinandi significatum dictionum biblicarum imitemur, exemplar proponi. Nihil jam dicam, quanti sit per universum Theologiae polemicae campum, usus, exquisitiorem phraseologiae sacrae notitiam sibi comparasse. Id modo adhuc, quod praetereundum non videtur, adjiciam: Si utilitatem hinc, immo *necessitatem* hujus studii perspicimus, certe in illo excolendo diligentiam nostram non parum acuere debet, quod lingua imprimis Hebraea plane singularis, immo admi-

admirandae, sit indolis, ab Europaeis omnibus  
 nimium quantum distans. Fidem dictis faciet,  
 ut ceteros in hoc genere versatissimos viros ta-  
 ceam, D. Loescheri de causis linguae Ebraeae prae-  
 clarum opus. Hinc inter Philologos saniores trans-  
 acta quasi & extra omnem dubitationis aleam  
 posita res est, voces Ebraeas esse, quarum sin-  
 gulae vix unquam exacte cum emphasi una la-  
 tina, vel alius idiomatis dictione reddi possint,  
 sed & plura, & plenius, & magis emphatice  
 significant. Hoc vel notissimo exemplo radi-  
 cis *בַּי* probari poterit, cujus vis, ut observarunt  
 accuratissimi interpretes, in sensu rituali, illa no-  
 tione, quam solum redimendi vocabulum apud  
 Latinos fundit, minime exhauritur, sed si em-  
 phaseos aliqua saltem habenda ratio, no-  
 tat, *jure propinquitatis rem aut personam vin-*  
*dicare, & animo quem sanguinis nexus imperat,*  
*versus eam agi, eandem ut propriam sibi asserere, pre-*  
*tio dato redimere, & jus ejus, quod ipsa vincere*  
*non poterat, persequi. vid. J. J. Cramerum in*  
*Theologia Goetii l. I. p. II.* Hinc quis jam non cla-  
 rissime conficiat, in dictionibus linguae sacrae ri-



rimandis haud desultoria opera defungendum esse, verum in iis, siquidem sacratissimum Dei verbum ad usus, quos intendit adhibendum est, cuncta sollicitè, nec sine imploratione superni auxilii excutienda?

Vides B. L. quibus adductus rationibus, cum cognitionis Theologicæ quaecunque edendum fuerit specimen, materiem, quam frons sistit dissertationis, elegerim, præsertim cum eam, quod sciam, nemo ea, qua heic factum est ratione, pertractare aggressus sit. Tuæ, non dubito, quin existimes humanitatis esse, disferentem benigna mitique subleuare censura, nec, si quid melius potuisse putes elaborari, quod minime inficiabor, id quo pacto fieri debeat, taxare, verum opere, altiorisque documentis ingenii demonstrare.

§. II.

**J**Am igitur ad rei, quæ caput causæ constituit, penitiorè considerationem, in qua ut Pater luminum cœlestis jubare lucis nos clementer collustret, ducat dirigatque, deuote precamur, alacres pergimus. Consiliorum &

viam

viarum Dei sacra pagina plurimis in locis facit  
 mentionem. Uti vero per *consilia*, saltem pleo-  
 rumque, *decreta summa sapientia legibus nixa desig-*  
*nat, i: e: voluntatem Divinam, de rerum quarum-*  
*vis existentia efficienda vel non efficienda, impedienda*  
*vel permitteuda, quatenus ejusmodi voluntas scio-*  
*entiam optimos fines per media accommodatissima*  
*obtinendi requirit & secum habet conjunctam; i:*  
*ta per vias ductumque istiusmodi consiliorum*  
*executiones denotat. Prius ut pateat, scriptu-*  
*rae quendam locum huc pertinentem, cum*  
*omnium non liceat per propositam brevitatem*  
*habere rationem, adducere, eumque secun-*  
*dum genuina hermeneuticae sacrae principia exa-*  
*minare juuabit.*

S. III.

**P**Lacuit vero inprimis illustre dictum, quod  
 Psalmo LXXIII; 24. inuenitur, maxime  
 quod Psalmus hic plane eximius est, mysterium  
 crucis viuidissimis sistens coloribus. Ita autem  
 dictum nostrum in fontibus legitur: בעצתך  
 תבחרתי ואתה כבוד תקחני *Pro consilio tuo ducis*  
*me, & postea cum gloria assumes, seu recipies*  
*me. Vbi voci עצה eam omnino notionem con-*  
 ueni-



9  
uenire, quam in definitione consilii modo data,  
exhibuimus, nulli dubitamus affirmare. Certe vel  
vocis origo ad sapientiam inferri respectum per-  
spicue docet. Descendit enim a *ϣϣ* *consulere*,  
deliberare, quod sine actu quodam intel-  
lectus & sapientiae fieri nequit. voluntatis autem  
seu decreti simul habendam esse rationem, quae  
infra sumus adducturi, abunde demonstrabunt.  
Scilicet, applicanda ut promisimus in hunc usum  
media hermeneutica, quorum praecipua sunt *con-*  
*textus & parallelismus.*

§. IV.

**A**D contextum scopi cum primis consideratio,  
& nexus antecedentium & consequentium per-  
tinet. Est vero in nostro Psalmo scopus, ceu res  
ipsa & verborum cohaesio quemuis facile conuin-  
cere potest, ut auctor sacer (a), tanquam insi-  
gni experientia spirituali praeditus, suo quosvis  
tentatos exemplo, qui dubiis & periculosis de  
Divina omniscientia & providentia cogitationibus

B

affli-

(a) *Asaphus ne ille sit, an David ipse, operose iam non  
disquiro: neutra enim parte, siue hic credatur auctor secun-*  
*darius, siue ille, Θεογνωσία oraculi huius periclitatur, quum*  
*Asaphum scriptura prophetam & videntem saluet.*

afflictantur, doceat, quo pacto offendicula haec-  
 ce coelesti lumine ac robore mañu euitare feli-  
 citer ac superare queant. Hoc consilio, ( ut jam  
 antecedentium & consequentium nexus in nostro  
 dicto clarius eluceat, ) primum v; l. emphatica  
 expressioue, vel, ut Guffetius ad vocem hujus ver-  
 ficuli primam <sup>7</sup> commentatur, exclamatione, ve-  
 lut e profunda de rebus malorum prosperis & suis  
 adversis meditatione emergens, eorum veram *felici-  
 tatem*, qui sincera poenitentia & non fucata fide, a  
 perverso sui amore se purgarunt, *praedicat*. Qui-  
 bus verbis simul continetur *scopus* dicendorum  
*specialior*. Porro docet, quam fuerit ipse nuta-  
 tioni, h. e. defectioni a regia veritatis via & fi-  
 de propinquus, eo quod se decipi fere patere-  
 tur, *partim* fallaci specie *felicitatis* impiorum,  
 qui non modo communibus hominum calamita-  
 tibus & aerumnis vacui, corporis robore & fir-  
 ma valetudine praediti, libere ac impune pecca-  
 tis quibusuis grauissimis indulgeant; verum eo  
 tandem quoque procedant insanæ, ut scienti-  
 am & prouidentiam diuinam siue negent impie,  
 siue in dubium saltem vocare minime vereantur;

qua



11

qua tamen non obstante impietate, rebus utantur florentissimis v. 2. 12. Partim afflictionibus & misera sorte piorum, quibus quamvis conscientiae puritas & animi sinceritas longe feliciora promittere fata videantur, suam tamen integritatem frustra esse, uti quidem in ista sua perturbatione sibi persuadent, sentiant, immo perpetuis nunquam non plagis & castigationis quasi flagellis adfligantur, v. 13. 14. Tum vero se ipse sanioribus & sanctioribus cogitationibus velut vincēs, duabus potissimum rationibus refutat. Primum *indirecte* v. 15. hunc fere in modum: Si eandem cum nequissimis istis hominibus, qui v. 11. dicebant: *Quomodo sciret Deus? tibi* inflans, Te cuncta scire, & tuis paterne prospicere negarem, nonne tum maxima haec inconuenientia inde sequeretur, ut *omnem generationem filiorum tuorum*, qui tamen iisdem mecum crucis legibus, ex sapientissimo tuo decreto & intensissimo in eos affectu subijci solent, כרתִי *perfide desererem* aut contra eam *agerem? Directe* v. 18. 19. 20. petiro argumento solidissimo ab impiorum tragico ac maxime lamentabili exitu, I-

ta tamen hoc allegat noster, ut in antecessum ostendat, quomodo in allati argumenti meditationem inciderit. Id facit, tum *remotive* v. 16. monstrando, quomodo non potuerit illud perspicere, quamdiu non ingressus esset *in sacraria Dei*; sed citra illam in ea introspiciendi curam diu multumque *cogitarit* irrito conatu, cum res illa esset *labor* tantum & molestia *in oculis*, scilicet: *judicii* & *mentis* ejus: tum v. 17: *positiue*, significans, quo tandem pacto ipsi in mentem venerit, videlicet cum *intraret in sacraria Dei*. Numero multitudinis sine dubio respicitur quidem ad varias partes tabernaculi Moysi; (b) intenditur tamen id, quod tabernaculum figurabat, ut sensus sit, tum demum hieropsalten scrupulis suis & periculosis cogitationibus penitus liberatum fuisse, cum pia meditatione, coeli, ecclesiae, Christi, (nam horum typum fuisse tabernaculum patet ex Hebr. 9: 9. 12. cap. 10: 19. Apoc. 21: 22. Dan. 9: 24.) atque adeo mysterii crucis, quod ad regnum ejus pertinet, indolem, in verbi revelati sacrariis, intimius scrutatus, sapientissimam

(b) D. Geier ad h. l. respici putat etiam ad alia precativanda & publice informationis loca, synagogas & scholas, ubi prophetarum alebantur filii.



nam decretorum diuinorum, cum de piis, tum de impiis, connexionem perspexisset, simulque ira ad horum flebilem attendisset finem. Cum igitur hoc modo veram improborum infelicitatem fallaci eorum splendori & ~~τοῦ~~ *imagini phantastica*, ut v. 20. habet, oppositam, solis de demonstrat, eoqve simul *implicite* vi contrarii digitum ad piorum longe meliorem sortem intendit, & hac ratione sufficienter verum *im*um probat: non alio sane, quam supra indicatum est, *animo*, id agit, ut suo videlicet moneret exemplo, qui satanae ignita tela & corruptae carnis suggestiones, dum hinc filiorum Dei miseriam & arumnas, illinc eorum, qui prauis cupiditatibus strenue indulgent, contrariam sortem nobis obijciunt, repelli debeant & extingui. Hoc facto sequitur tandem a v. 21. ad finem, luculentissimum Deo constanter adherendi propositum: quod partim *negativum est* (*κατ' ἀρνησιν*) de eo quod posthac vitare constituit, quando v. 21. & 22. priorem suum errorem & repugnantiam adversus Dei consilia brutalitatis, ut sic loquar (in Ebr. בער ע' בהמות instar bruti & bestiarum),  
 accu

accusat; partim *positivum* (כאנני ה'ו') v. 23. his  
 verbis: וְאֲנִי הִמְדָּ עִמָּךְ itaque ego semper tecum,  
 subintell. ero. Cujus propositi duplicem affert  
 rationem moventem, alteram in hoc eodem  
 versu; *apprehendisti dextram meam*: in sequen-  
 ti, qui jam supra adductus est, alteram, hac  
 connexionem ac sensu: ideo Tibi, mi Deus,  
 semper adhærebo, quia sicut me huc usque spi-  
 ritus Tui auxilio suffultum sustentasti, (id e-  
 nim innuit *apprehendere dextram*) ita pro Tuo  
 consilio ducis & post hac *duces me*, *Et tandem*  
*cum gloria recipies*: quæ mox plenius explica-  
 buntur. Reliqua hujus Psalmi ad finem, non  
 nisi ad idem propositum novis *mediis terminis*  
 confirmandum pertinent; quod, si vacaret,  
 in proclivi esset monstrare. Si itaque succin-  
 ctam totius Psalmi partitionem (c) desidera-

mus,  
 (c) D. Schmidius sic partitur, 1:0 dicendorum summa v.  
 1. 2:0 ipsum pii hominis scandalum atque periculum v. 2.  
 3. idque 3:0 ex impiorum felicitate v. 4. -- 12. *Et piorum*  
*merita* v. 13. 14. *et tunc*. sed tamen 4:0 *sanctioribus cu-*  
*ris discussum* *Et dissipatum* v. 15. -- 20. unde tandem 5:0 post  
 erroris emendationem v. 21. 22, *ingenua* *Et grata confessio*  
 in Deum v. 23. -- 28. sequitur. In quo non adeo, *multum*  
 a nostra recedit partitione,



mus, hæc erit: I:o ipsa thesis de piorum be-  
 atitate v. 1. II:o dubia adversus eam v. 2-14.  
 III:o eorum refutatio, cum implicita thesios  
 probatione 15-20. IV:o perisma hinc deriva-  
 tum, propositum puta Deo constanter adhaeren-  
 di, cum suis atologiis v. 21-28.

## §. V.

**H**Æc operosius paullo consultum duximus de-  
 ducere, quo omnia ad nostrum institut-  
 um spectantia non majori modo luce donen-  
 tur, verum sic etiam appareat tantum abesse,  
 ut vel scopus Psalmi generalis, vel specialis, vel  
 antecedentia & consequentia consilii significationē  
 antea datam v. 24. aspernentur, ut eam po-  
 tius postulare quodammodo videantur, saltem,  
 si ea admittatur, cuncta sponte & naturali o-  
 mnino nexu fluant. Quod si enim heic eo en-  
 dunt omnia, ut contra scrupulos & dubia de  
 mira Dei providentia circa pios & impios, il-  
 lorumque vera, horum autem fluxa beatitudine  
 instruatur tentatus: certe in ejusmodi casu re-  
 ctissime sapientissimum Numinis decretum, per  
 quod consilium ejus explicuimus, allegatur,  
 ut

ut hoc perspecto, in benevolentissimi Patris voluntate adquietat suavissime.

## §. VI.

**C**umque ex data analysi pateat v. 24. esse aetiologiam propositi, quo hieropsaltes se in perpetua cum Deo unione manere velle decernit, satis hinc claret, quis sit dicti nostri scopus *specialissimus*, quæ summa, quod argumentum: nimirum istius decretæ unionis *motivum* sive rationem moventem *indicare*. Hoc ipsum vero itidem nostro instituto apprime convenire quis non videt? Qua enim quis ratione melius & efficacius ut in suavissima cum supremo Numine conjunctione perseverare velit, vel se incendere, vel in ea confirmare potest, quam si jugi & vivida meditatione cum summa Dei sapientiæ, tum voluntatis ejus optimæ animus pascatur? Per illam novit Deum, quæ ipsi maxime salutaria sint, exactissime, sine vel levissimo erroris periculo perspicere: per hanc vero, siquidem ardentissimo intimentes se æstuat amore, non posse non perspecta decernere. Nihil igitur mirum, si utrumque voce



727 *consilio tuo* psaltes complecti credatur  
 praesertim cum nec usus sacri codicis repugnet,  
 ceu deinceps videbimus, cum loca parallela sumus  
 perlustraturi. E contrario tolle alterutrum horum  
 & simul alterum fulcrum propositi pii sustule-  
 ris. Finge summam sapientiam, sed destitutam  
 optima voluntate: sciet illa quidem meliora,  
 sed deteriora decernet. Finge voluntatem opti-  
 mam, quae careat summa sapientia; annon peri-  
 culum est, ne, cum optime cupit, deteriora ta-  
 men in decernendo imprudens sequatur, aut in  
 mediorum electione aberrans, sine cetera opti-  
 mo praeter opinionem excidat? Numvero tali  
 quis Deo, qui re alterutra careat, sibi propo-  
 net constanter adhaerere?

§. VII.

**U**Lterius verborum etiam nostri versiculi pau-  
 lo uberius danda est explicatio, ut, inde  
 numquid argumenti pro nostra sententia peti  
 possit, eluceat. Cum consilium Dei varium  
 sit, ut facile demonstrari potest, hinc merito,  
 quodnam speciatim nostro in loco innuatur, quae-  
 ritur. Id optime docebunt praedicata adjecta,

C

quo

quorum primum est, *ducis me.* quod verbum  
 proprie actum designat illius, qui alteri viam  
 monstrat, eumque, si viribus deficiat, ita susten-  
 rat & manu subleuat, ut progredi possit, ac  
 metam, quam per se nequisset, alterius bene-  
 ficio ex voto attingat. Quia vero propria sig-  
 nificatio heic locum citra absurditatem habere  
 nequit, & metaphorica consequenter admitten-  
 da est, sermo etiam est de ducendi actu tali,  
 quo Deus circa psalten & ejus similes, h. e. fi-  
 deles (nulla namque adferri ratio potest, cur his  
 idem, quod illi beneficium non obungat) vero-  
 fatur: nihil hic per *ducere* innui potest,  
 nisi *mira* ac specialis Dei providentia circa fide-  
 les, & *concurfus* gratiosus, quo in suam glori-  
 am, & ipsorum commodum *omnia*, etiam affli-  
 ctiones ac infortunia dirigit & gubernat. Per-  
 tinet igitur ad hunc divinum & sapientissimum  
 ductum, quod, sicut Deus auctorem salutis no-  
 strae per passionem ac mortem consummavit Heb.  
 2:10. ita cum illo pati sinat eos ac velut igne quo-  
 dam docimastico purgari, qui gloriae per ipsum  
 partae consortium anhelant. Quam in rem prostat  
 sylva



sylva locorum scripturae: sed evolue interim Prov. 15: 33; Rom. 8: 17. Apoc. 14: 12. 2. Tim. 2: 11, 12. Ad hanc Deo familiarissimam viam heic peculiariter respici, eo est credibilis, quod non solum supra de admiranda eius circa pios providentia actum sit, verum etiam quæ mox sequuntur verba, *Et postea (d) siue tandem cum gloria recipies me*, (quibus beatus piorum exitus 1. Pet. 1: 9. delineatur) non solum impiorum miserabili fini v. 17. indicato, sed proborum etiam afflictionibus & contemptui satis clare opponantur. Caeteroquin observandum est, si תבואה cum tota sua emphasi verti debeat, sic reddendum: *ducis & auces me*. Hinc Joh. Hen. Michaelis in uberioribus annot. præclare ad hunc

## C 2

## locum

(d) Grotius quidem opinatur, Davidem optasse à Deo fieri אהר כבוד i. e. effulgentiam quandam gloriae & lucis divine per dona & virtutes, coll. Zach. 2: 12. Verum ne quid jam aliud de re ipsa moneam, huic interpretationi sacer accentuum contextus apertissime refragatur, qui quum אהר & כבוד a se mutuo sejungat, contra quam all. Zach. loco, ostendit, vocem אהר heic neutiquam nominis, sed ne prepositionis quidem sensum ferre, quum sic ne us grammaticus conjunctivum requirat; sed omnino particula adverbialis postea, tandem, vim servare.

locum sic: *ducis per haec tempora, & ad aeterna deduces me.* Notissimum enim inter Philologos est, verba futuri temporis, quale hoc nostrum, in actu continuo saepe praesens & imperfectum includere. (e) Indicatur adeo firmissima hieropsaltae fiducia ac spes, qua, non ut corrupta caro solet, quae tantum ad pedes posita credit, praesentem modo sortem suam, sed futuram etiam Deo commendatissimam esse, certissime sibi persuadet.

Hinc perspicue liquet, quid ad propositam quaestionem respondendum sit: nimirum speciatim tale hic intelligi consilium, secundum quod ab aeterno conceptum, specialis ista, cujus mentionem fecimus, providentia, & concursus gratiosus in tempore attemperatur & dirigitur. Quoniam enim ductus divinus a consilio distinguitur, hoc aliquid ab operationibus Dei in tempore, quas ducendi notio, ut modo explicata est, involvit, diversum, consequenter aeternum sit oportet. Patet autem hanc, quam afferimus verborum explicationem rursus non parum nostrae fave.

(e) *conf. Tarnovii Gram. Hebr. Biblica p. 104. ubi etiam exemplum actus continui adducitur illud Psal. 1: 2. in lege ejus meditabitur die ac nocte.*



favere sententiae. Neque enim Deus suos aut secundum solam sapientiam aut solum voluntatis decretum, sed secundum *hos* prout in *illa* fundatur, ducit & cum gloria recipit: nec ulla adparet ratio, cur, cum alterum cum altero commode consistere queat, hic a se inuicem debeant sejungi.

§. VIII.

**I**am ad alterum tandem progredimur subsidium exegeticum, quod parallelismi nomine apud Doctores insigniri solet. Facili autem quisque negotio praevidet, quid heic cum primis curae debeat esse. adducenda videlicet non talia modo parallela dicta, quibus notionem sapientiae consilii, cum Deo tribuitur, significationem ingredi pateat; sed & quæ decreti vim eidem inesse probent. *Prioris* generis ut multa prodire jubeamus, nihil est opus, cum & origo vocis  $\eta\epsilon\upsilon$  & conjugata seu universa ejus familia relationem quandam ad intellectum ejusque perfectiones clarissime loquantur. Unum tamen itemque alterum locum tetigisse juvabit. Et. XXXVI: §. fit mentio consilii ad bellum gerendum. Quid hoc est

est aliud, quam scientia optimorum mediolorum ad hunc finem obtinendum? C. XL; 13. verbis: *Quis vir consilii aut consiliarius ipse instruet eum?* negatur Deo consilio alieno opus esse. Quod idem est, ac si diceret; tantum abest ut Deus ab alio, quomodo res suas finibus convenienter disponat, instrui debeat, ut id eminentissima ratione per se ipse norit. Quem sensum confirmat verus sequens, ubi per *וְיָמַח מִנְּיָוָה* quocum delibet? intelligitur consultatio consilium poscentis; quam significationem in forma Niphal huic verbo competere, inter omnes convenit, parique ratione alieni consilii necessitatem a Deo removeret. Itaque verba allata sic exponit D. Gezelius ad h. l. *Ingen hastver wiist Herranom sät och wäg/ Huruledes han sina sår wistligen regera skulle/ såsom Jordiske Konungar sädant behöfwa.* Annon hic apertissime digitus ad intellectum divinum ejusque sapientiam intenditur? Quod itidem fit Prov. 8. 14. *לִּי מִיּוֹזֵן* *mibi consilium*, hoc est, “ut Michaelis explicat, (f) possideo aliisque impertior consultandi peritiam. idque paullo clarius D. Gezelius ad h. l. ita effert: *Wti mig är et obegri*

(f) *Uberioribus annot, Philologico Exeg. ad Prov. 8: 14.*



gripeligit råd / at iag wet uti mitt wisshets  
 lius / hwad uti alla ting wisligen ssee eller icke  
 ssee kan.

§. IX.

**N**Ec locorum posterioris ordinis, h. e. quae di-  
 ctione  $\text{נצו}$  decreti potestatem contineri eui-  
 cant, ulla laboramus inopia. Talis est, isque e-  
 videntissimus Eldrae 10: 8. ubi verba  $\text{נצו}$   
 $\text{השיר}$  secundum consilium principum, non pos-  
 sunt non de illorum decreto accipi. unde D.  
 Gezelius consilium in notis ad h. l. reddit per  
 Slut. Neque aliter sumi potest eadem vox cum  
 Salomo Prov. 19: 21. *consilium inquit Domini*  
*consistet*; idem enim hoc est ac si diceret; Quic-  
 quid Deus pro sua sapientia *decrevit* sive facere  
 sive impedire, sive permittere, eventus opratus  
 destituere id minime potest. His gemina sunt  
 verba Psal. XXXIII: II. Jam cum Esaias Aegy-  
 ptiis poenas promeritas hostium irruptione infli-  
 gendas divino instinctu C. 19: 17. denunci-  
 ans, ita loquitur: *omnis apud quem, quis commemo-*  
*raverit eam* (Judaeam puta) *pauebit ob consilium*  
*Domini Zebaoth, quod decrevit super eam nimis*  
 rum

rum Ægyptum; quis non vider, dum consilii Domini Zebaoth mentio injicitur, decretum inuini divinum de terræ Ægyptiacæ per hostes vastatione? nec incommode huc referri possunt loca Es. 28: 29. *admirandum fecit consilium: & Jer. 32: 19. magnus consilio & grandis opere.* Cum enim statim additur opus, id indicio est, de ejusmodi consilio, quod efficax & potens sit, h. e. decreto sermonem esse. De decretis divinis circa salutis nostræ negotium *consilium* intelligendum esse in sequentibus locis, clarior res est, quã ut moneri debeat. Luc. 7: 30. *Pharisæi rejecerunt* seu irritū reddiderunt *consilium Dei de seipsis.* Act. 2: 23. ἢ ὡρισμένη βελῆ, ad quem locū clarissimus *Stockius* ita: *Definito consilio, i. e. decreto, quo Deus opus redemptionis per passionem & mortem Filii peragendum sapientissime decrevit. c. 4: 28. Ad faciendum quaecunque manus tua & consilium tuum prius definiuit ut fierent cap. 20: 27. Quominus annunciarem vobis omne Dei consilium.* Dicitur Hebr. 6: 17. itidem huc pertinere & res ipsa & contextus loquitur. Quando v. Apostolus Eph. 1: 11. *consilium voluntatis com-*  
me-



memorat, *illud* secundum quosdam, ut *Hu-*  
*gonis* de sancto victore verbis utar, scientiam di-  
 rigentem, *voluntas* voluntatem imperantem, *vox*  
*operatur* potentiam exsequentem exprimit. Quam-  
 quam nihil ob stare video, quo minus, sicut de-  
 cretum voluntatis dico, ita *βελή θελήματ* h. l.  
 idem, non exclusa tamen scientia siue sapientia  
 dirigente, significet. Id vero praterendum non  
 est, allata in hac §. scripturae testimonia, licet  
 decreti vim paullo apertius & luculentius pro-  
 dant, ita tamen explicanda esse, ut sapientiam,  
 in qua illud fundamentum suum invenit, mini-  
 me excludere, sed connotare credantur: quod  
 ex iis quae ad §. sequentem dicturi sumus, ro-  
 bur & lucem accipiet.

§. X.

**H**ae, quae ad §. 8: tam & 9: am jam dil-  
 seruimus, praepositis, uti dilucide constare  
 putamus, S. litteras, cum consilium de Deo praec-  
 dicant, ita loqui, ut non decreta magis divi-  
 na, quam sapientia summa hac voce designen-  
 tur: ita merito inde, ceu nouo argumento con-  
 cludimus, utrumque simul in iis locis, quae ra-

D

lem

lem sensum commode ferunt, consilii significatu involui, nec necesse esse, ut vel illa vel hanc separatim intelligi credamus, quoties res & contextus id non exigat. Nulla enim in ejusmodi dictis ratio est, quæ dissuadeat utriusque notionis conjunctionem, cum contra sensus sic plenior & explicatior euadat, quod utique Spiritu Sancto magis dignum est censendum. Deinde pro nostra sententia plurimum militat analogia vocum sacrarum, quas in sensu prægnanti, h. e. eo, quo plures cognatae res uno vocabulo comprehenduntur, saepissime occurrere, maximo omnium consensu creditur. Præbuit ejus rei specimen quoddam supra verbum *ὅτι* & nisi properandum nobis esset per plurima alia suppetent. unicum tamen adjiciam Quis dubitat verbum *ὅτι* simplicem scientiam significare? at tamen, imprimis cum de sanctissimo Numine adhibetur, saepissime in sensu prægnanti, præter nudam noticiam etiam curam circa res cognitatas complectente, usurpatur: annon vero sapientia & decretum itidem inter res cognatas debent haberi, quæ species sunt eodem genere continen-



tentæ, cum actus sint mentis? Quod si verum est, nihil profecto habet absurdi, & ipsas in sensu prægnanti uno comprehendere vocabulo. Accedit tandem quod אָדָּם, ut supra notatum est a אָדָּם, quod actum intellectus proprie & primario notat, oriatur; & tamen, quod contra tot dictorum fidem negare haud licet, non nudum consultandi actum, sed decretum quoque significet: cujus sane rei nulla reddi potest ratio, nisi admittatur, id propterea fieri, ut innuatur non nudum decretum, sed quod consulto intellectus judicio sit conceptum. Quo concessio, quod volumus assecuti sumus.

Erat quidem B. L. in animo aliud caput, idque dogmaticum adjicere, quod & perscriptum & pro instituti ratione plene elaboratum in oculis meis aservatur. Quoniam vero temporis arctissimi limites a superioribus imperati postularunt, ut labor typographo redderetur, quam posset, brevissimus, factum, ut, quam dixi, hujus opellæ partem privatorum tenebris claustrorum tantisper mancipandam judicarem. Alio forsitan eoque commodiori tempore, si rerum ita tulerint vices, nec penitus dilpauerint, quæ jam Tuæ submitto centuræ, caput prolatura est.



## CONSPECTUS.

- §. 1. *Præloquium de necessitate scrutandi stilum biblicum.*  
§. 2. *Definitionem Consilii Divini proponit.*  
§. 3. *Eam voci מַצְוָה competere statuit.*  
§§. 4. & 5. *Hoc per analysin totius Ps. ex contextu probant.*  
§. 6. *Idem evincit ex Scopo Specialissimo.*  
§. 7. *Explicatione verborum versiculi 24: ts. idem confirmat.*  
§§. 8. 9. & 10. *adducto parallelismo, & analogia vocum sacrarum in subsidium vocata, eodens tendunt.*

